



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

1. De apparitione facta discipulus ipso die resurrectionis. Ioan. 20.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](#)

2. hebdom.

I. *De apparitione facta discipulis ipso die  
Resurrectionis. Luc. 14.  
Ioan. 20.*

I. **C**Vm discipuli in cœnaculo con-  
gregati metu Iudæorum, & spe  
videndi dulcem Magistrum suspen-  
sione ingruente, inter se, vt credibile  
est, conferrent ea, quæ à diuersis cir-  
ca eius & Angelorum apparitiones au-  
dierant, quæque ante triduum ibi ge-  
sta fuerant, recolerent, sequæ inui-  
cem in fide, & spe confirmarent, ecce  
repente Iesus mira luce circumfusus  
ingressus ianuis clavis, *Sicut in medio*  
*corum,* & dixit eis: *Pax vobis. Ego sum,*  
*nolite timere.* En quam dulcis & suau-  
uis est Dominus, qui suos dilectos di-  
scipulos hucusque præsentia sua con-  
solari distulit, tum ad tarditatem quo-  
rundam ad credendum paternè casti-  
gendum, tum ad desiderium omnium  
acuendum, gaudiumque & meritum  
augeandum: nunc vero quam abunde  
id, quod distulerat compensat? En-  
quam sereno vultu, quam amabilis  
corporis habitu stat velut bonus pa-  
stor in medio ouium suarum dissipata-  
tarum, ut eas colligat, atque ad ovi-  
lere

le reducat ; velut bonus Magister inter discipulos , vt eos eruditat ; velut Sol iustitiae inter stellas , vt eas illuminet ; velut princeps inter suos milites , vt eos animet ; velut Pater futuri sæculi inter suos filios , vt eos consoletur ; velut caput corporis mystici Ecclesiae inter membra sua , vt ea viuisceret ? quanto maiore erga eos tenerissimi amoris affectu , quam olim Ioseph erga suos fratres , cum se ijs in Ægypto manifestaret ? quanto maiore discipulorum stupore , solatio , gaudio , quam fratrum Iosephi cum ab ipso audirent : *Eg, sum Ioseph frater vester , no-* Gen. 45.  
*lite paucere. Quoties similia amoris signa cœlestis sponsus exhibit dilectis suis , cum temptationibus obruti cum Diuo Antonio & Catharina Sevensi se omnino ab eo desertos existimant , & quidem in corde eorum residens eos repente illuminando , animando , inflammando , consolando ! Quanto eminentius id quod inchoat nunc in viâ , perficier olim in Patria & Gratitudo , spes , amor .*

II. Cum verò conturbati , & territi existimarent se spiritum videre , obtulit se non solum videndū , sed & palpandum , ostendens eis manus , pedes ,  
& la-

& latus. Quanta benignitas Saluatoris, qui corpus suum gloriosum dignatus est mirabiliter discipulis præbere palpabile, ut eos in fide confirmaret, & simul impassibile, ut ad præmium invitaret! Ostendere ijs cicatrices vulnerum manuum, pedum & lateris, ut sanaret eorum vulnera infidelitatis, simulq; accenderet flammis charitatis! Et quidem quam incenso eorum salutis & maioris perfectionis desiderio! quanta reverentia discipuli tam suaviter inuitati sacra eius vulnera contigerint, quanta pietate exosculati fuerint, quam se sacro illo conatu illuminari & inflammari senserint?

O quoties simili benignitate tibi dulcissimus Iesus manus, pedes & latus exhibet exosculanda, quando tibi eorum, quæ pro te passus est, memoriam refricat, si que te ad glorificandum se, redamandum, imitandumque extimulat? Gratitudo, amor, zelus multa ardua faciendi & patiendi pro Christo, cerebra sacerorum vulnerum recordatio & veneratio.

III. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio, comedit coram eis de fauo mellis & pisce a solo sibi oblatu. O mira dignatio Domini!

mini Maiestatis, non deditantis in  
gratiam seruorum demittere se ad  
id, quod statui suo non conueniebat!  
idque, ut eos in fide adhuc nutantes  
confirmaret, nosque ad escam diuinorum  
per fauum mellis & pisces assum  
designatam, ad diuinitatem scilicet  
suam omnis dulcedinis fontem, & hu-  
manitatem igni passionis assam crebro  
pieq; in sacra communione degustan-  
dam, sibiique deuotè in soleanni Missæ  
sacrificio offerendam inuitaret, atque  
ad cœlestē illam cœnam nuptiarum  
Agni, quam mystica illa præfigurat,  
sperandam, desiderandamq; alliceret.  
O quam beati, qui ad utramque illam  
cœnam nuptiarum Agni vocantur! at  
quanto beatores, qui alteram piè fre-  
quentare in terris, altera beatè frui in  
xternū merentur in cœlis! Amor,  
gratitudo, zelus piè communicandi,  
& Missam celebrandi vel audiendi.

De eadem apparitione. Ioan. 20. II.

I. **C**VM pius Dominus discipulos  
suos vacillantes in fide veræ re-  
surrectionis suæ confirmasset, iam pa-  
ternè eos alloquendo, se spectandum  
& palpandum **omnibus** offerendo, co-  
ram